Markiewicz Stanislaus

Mamczynski Stanislai Seb: Nova magnifici honoris eminentia laurea theologica.

NOVA MAGNIFICI HONORIS EMINENTIA LAVREA THEOLOGICA.

DVM

Magnificus Perillustris & Admodùm Reverendus D.

D.M. STANISLAVS MARKIEWICZ,

S. Th: Licenciatus, Collega Major, Ecclesiarum Collegiatarum S. FLORIANI CANONICUS, Sandecensis CANCELLARIUS, Cureloviensis SCHOLASTICUS, SS. Omnium & Prossovicensis PRÆPOSITUS, Scholarum Novodvorscianarum & Contubernij Geloniani PROVISOR, Studij Generalis Almæ Universitatis Cracoviensis Vigilantissimus RECTOR, SACRÆ THEOLOGIÆ DOCTOR,

A

PERILLVSTRI & REVERENDISSIMO D.

D. M. MARTINO WALESZYNSKI,

S. Th: DOCTORE & PROFESSORE, ac ejusdem Facultatis DECANO, Collega Majore, Ecclesiarum Cathedralis Cracoviensis CANONICO, Parochialium Montis S. GEORGIJ in Scepusio & Przemykow PRÆPOSITO, Librorum per Diæcesim Crac: Ordinario CENSORE, Canonizationis B. JOANNIS CANTIJ PROCURATORE, Contubernij Hierozolymitani PROVISORE, Studij Generalis Almæ Universitatis Cracoviensis PROCANCELLARIO,

Ritu Solenni

C R E A R E T U R.

è Voto Scholarum Novoduorscianarum

atq; ILLUSTRISSIMÆ ac NOBILISSIMÆ Juventutis Académicæ

A

M. STANISLAO SEBASTIANO MAMCZYNSKI,

Philosophiæ Doctore in Collegio Novodvorsciano Dialectices Professore, Publico Sacrâ Authoritate Apostolicâ Notario.

CLIENTALI PENNA INPUBLICUM

D E D U C T A:

ANNO DOMINI MDCCXXIX. VIII Cal: Martij.

CRACOVIÆ, TYPIS ACADEMICIS.

In Avitum Stemma
ALMÆ UNIVERSITATIS CRACOVIENSIS.



Aurea Sceptra nitent, eſt illis pondus & ingens,
Dant pretium majus gemmea facta Viri.
Tutior Orbis erit Noſter felixq́; manebit,
Cùm nova ſceptriferæ, Laurea nexa Cruci.

MAGNIFICE DOMINE RECTOR.

NOva Magnifici Tui HONORIS EMINENTIA, ſublime de Te ſcribendi genus requirit; tamen Scholæ Noſtræ quòd humile, non Magnificum Tibi efforment opus, ignoſce quæſo. Magnitudo enim Nominis Magnifici, non tantùm humilem & incultum ſuperat ſtylum, ſed etiam captum omnium Scholarũ excedit. Amplitudo Tuorum meritorum altiùs ac latiùs ſeſe extendit; quàm magno ambitu diffuſi in auras Porphirianæ arboris rami pendent, & quàm Magni ex illis Mercurij poſſent fieri. Princeps Oratorum Tullius, ad Tuam Rectoralem Purpuram erubeſcit: qvòd ſuîs floribûs, virtutes Tuas non ſufficiat coronare, & gemmeos Tuæ mentis partus Thaſibûs protensîs emetiri. Phæbus Heliconius Tuos Perilluſtres titulos, magìs toti Mundo accendere conatur, ſed penes

novam MAGNIFICI HONORIS EMINENTIAM, umbra esse videtur. Excurrunt pedibûs ligatis Regiæ in Tua elogia Musæ; sed non procul: quas supra modum beneficijs strinxisti; innumeris meritîs, ac Tuîs laboribûs onerâsti. Sublimiùs certè laus Tua crescit, quàm altos lauriger Parnassus colles & suas voces, dulcis Musarum chorus eleuat. Habet suas Regulas & modos Piotrovius, nescit tamèn benè Tua decomponere encomia; quæ memoriâ capere, & vastitate ingenij comprehendere non potest. Qvare non indignare, quòd pumilio Scholarum animus, non ita Tuas assurgit in laudes, sicut Tuus eminet HONOR; quem RECTOR ac Provisor Vigilantissimus ne otiari putes, fert Tibi opus hoc ex se exiguum, sed ex Tuis meritis satìs magnum. Dant alij majores plausus & elogia, alij fundunt Rosas, Flos Nobilissimus Iuventutis Polonæ Tibi se hìc sternit, & brumali etiam tempore hæc sua cum votis folia explicat: ut Doctoralis Tuo in Capite Laurea, quàm felicissimè & diutissimè emineat. Ita precamur:

MAGNIFICENTIÆ VESTRÆ

Humillimi Servi

Professores Novodvorsciani.

NOVA
MAGNIFICI HONORIS
EMINENTIA
LAUREA
THEOLOGICA.

Doctorum Laureis eminere Honores
ne dicatur antiqvum esse;
Tuis Magnis innovatur meritis
RECTOR MAGNIFICE.
Nuper Manibus Tuis VNIVERSITAS porrexit SCEPTRA,
dat hodie faustiori successu fronti Coronam,
nimirum:
Ne Honor omnibus, quà meritorum, quà Scientiarum titulis,
Viri absoluti incompletus videretur;
Pallas Iagellonica eundem deducit Tibi ad fastigium.
Si Sceptra eminent Coronis?
debet etiam Magnificum Regimen Laureâ eminere Theologicâ.
Intendi Dignitatem Tuam omnino decet,
cùm in tanto gradu nil remittas de laboribus.
Fit Tuis Nova Honoribus, Honorum accessio,
Qui labores laboribus accumulas,
& Academicam felicitatem prospero foves moderamine.
Si nempe,
Sceptra Coronis non unirentur?
nulla foret ab alijs insignis distinctio.

Sit ergo Sceptriferi Muneris Corona, in Regibus terminus,
in Eruditorum Rectoribus Magnificis,
Sit Laurea Theologica feliciter meta.
Certè non contigit, sed fieri debuit;
Vt, postquam Academicis Sceptris admovisses, manus,
exporrigeres & Frontem Laureæ;
Doctorq; Theologus dicereris,
Qui adoraris Magnificus.
Theologici Tui Honoris Eminentia attingit Cælos,
quod ergo Culmen non adæquabit?
quæ ex summis meritis habet sublimitatem
& ex prævijs Honoribus, ac Regimine Academico
Magnificentiam.
Adeste Purpuratorum Capita!
adesto ipsa Purpura!
Novus hodie in Te Honor eminet.
Adeste Messes Honorum!
Nova tamen in Manipulo Iagellonico antiquæ superadditur,
quàm Primus Operarius exercet.
Adeste docta Lycea cum Rectoribus!
Facultates cum Doctoribus!
Nec vobis desit, nova plaudendi facultas.
Adeste Classes Novodvorscij!
ab hoc felici non aberraturæ Portu,
quòd plausuum existatis onerariæ.
Canunt ergo pro Suo modulo Musæ,
Sacræ Theologicæ Laureæ,
Tulliani Campi internectunt flores,
atq; Novam Magnifici Honoris Eminentiam
dum colorant,
Tuam Vitam,
RECTOR Magnifice,
laboribûs Academicîs conspicuam

venerantur.

Prodromante Tibi Tuâ promptitudine,
Maturâ, Celsâ & laboriosa Indole,
In Academicum advolâsti Lucum,
non iturus, sed more Aquilæ volaturus;
non jam pupillâ, sed perspicaci animô, Scientias inspecturus.

Felix illa aurora ætatis dicenda!
quæ Tibi Meridiem Novi Honoris oriri ominabatur,

Felix tempus & horæ!
quibûs penè stetisti ad Lauream Doctoralem Candidatus.

Splendidissimum Tui Ingenij Lumen,
quod Te Magnificum comitabatur.
Vt tamen futuram claritatem Tui
supra hæc adauxisses;
Diogenis adhuc accendisti facem;
non ut hominem quæreres, sed Scientiam.
Scholastica vix tetigisti limina, jam Splendor animorum.
Stabilis necdum gressu, jam *stans Laus.*
Ingenium disciplinarum capacissimum
omnibus sufficiebat difficultatibus;
quibus laboriose lugubrandis, continuò adhæsisti,
ut vinceres.

Sudat virtus propter refrigerium, & meretur, ut sit emerita.
Cracius Apollo ipse Tibi cedebat in Coronam,
quem Novis Virtutum ornamentis adornabas.
Aliàs sustulisti virtutem; quicunq; non offers præmium:
projecta generositas languet,
torpet vivacissima indoles,
quam non erigit spes firma Honoris.

In Novodvorsciano Vireto omnes Gratias complexus:
Flores Elementorum Latinitatis, Apollinis Laurus,
Tulliana decora, Porphirij Arbores,
in unum fasciculum collegisti;
Novas deinde Honorum Cornucopias lecturus.
Artes prædiscens humanas,
quas nunc in Te Divinas efformasti;

Delicium humani generis Sapientiam, laboriosè quæsijsti:
quæ usum lucis non invidet alijs, cùm ipsa in immensum clarescens.
Aristotelico cùm supernatasti Eurippo,
Inter spinas Logicales, Roseo effloruisti Ingenio;
Nunquam acumen præteferens, nisi quô difficultates pungerentur.
Erudita otia omnibûs negotijs prætulisti:
& ut ludum Literarium seriò tractandum doceres,
Catonis animô singulos animabas.

Quippe:

Gracius Apollo non vanus augur erat,
Te inter Patres Academici senaculi,
Mercurium, ac Diviniorem Platonem futurum.
Qui adhuc in gremio Musarum digna lauru dixisti, egisti,
tàm clarè & ingeniosè, quàm cultè & subtiliter,
nimirùm:
Quantulacunque animi lux, modò Palladem sapiat
accedit Olympo,
gratissima vel ideò, quòd Intelligentijs proxima,
nec in Orbis lumine fatiscens:
Tuis innumeris virtutibûs decorus,
in Tyrocinio veteranum egisti,
Meruisti Laurum duplicem Philosophicam
Tibi pridem apparatam,
nec majus illa Tibi;
quàm Tu ei decoramentum tribuisti.
Virentes enim continuò ut efficeres Corymbos,
à doctis nunquam abstinebas ardoribus.
Professoribus insistebas Professioni.
Ludum quem cæperas Literariũ, continuabas nunquam non seriũ.
In Actibus Disputationis, Actor & Victor.
In circulis inveniebas punctum, sed Honoris.
Conclusionem qui tulit; nunquam tamen
nisi præmisso Tui Honore.
Fulgore mentis Tuæ
perstringebas aliorum oculos,
umbram

umbram tamen modestiæ, ubiq; Tecum circumferebas,
& propriô virtutis decore ornatus, latere voluisti,
ast latendo magis Te prodidisti.
Ita enim virtus latere solet ut sol, quem magis umbræ produnt.
Pari processu
è Solo Academico Cracio, ad Soleam MARCHIONALEM
fecisti Magister gradationem;
& cùm nova aperiretur SCHOLA
Professor Novi semper Candidatus Honoris præfectus es,
ut illud MARCHIONALE Athenæum mereretur dici
Angelorum Colonia.
Vbi propè decennium herbas, novellis mentibus porrigens,
Palma Tibi excrevit Honoris nova;
quâ Indoles MagnaXIĘSCIORUM, Asciâ sua excindebat,
KVCHARSCIORVM Fluvius, pulchriùs rore Szrzeniava irrigabat,
Sol Doctorum THOMAS, (cujus Faciem Aquila mens Tua videre,
& laudibus immorari, huc volavit,) irradiabat.
Noverunt rectitudinē ingenij Tui GONZAGARū Aquilæ
& semper Tibi prævidebant HONORES,
Ales MYSZKOVIUS novos semper præcinuit.
LEONES excubabant, ut quid novi compræhenderent.
FLUMINA Marchionum aureâ Arena fluebant.

Ille

Sæculi nostri pretium,
Purpuratum Decus
Illustrissimus olim & Excellentissimus

D. JOSEPHUS GONZAGA MARCHIO

In Mirow

MYSZKOWSKI,

CASTELLANUS Sandomiriensis,
Fundator Noster Munificentissimus,

Tui Grande Decus Columenq;
Nova de Te ſemper cogitabat;
cùm Te fundationis ſuæ Profeſſorem,
Mox Paſtorem Stradovienſem effectu monſtravit.
Qui hucuſq; præcogitaſſet, ni Solea, vitæ Curſum, non negaſſet.
Tuum erat opus de omnibus cogitare,
Tuæ voluntatis, omnibus prodeſſe velle.
Cumq; ſic;
Inventus quoque Novo HONORI locus,
Imò Novus HONOR, licet nomine Minor,
Cum Hoſpes Domi ſtetiſti laborioſus,
Collega Minor.
Semper quippe vult ex ſtadio virtus coronata abire,
Nec aliquam decurrit metam, in qua lauream non videat.
Hoc in loco
Initium Novis laboribus dediſti,
Palæſtram Sapientiæ erexiſti,
quodlibet actuum Tuorum Negotium, non momentis conſtabat,
æviternâ ſæculorum perpetuitate menſurari merebatur.
A Tuo Capite aureo, ſingulis pretioſæ cogitationes ortæ,
à Tuo Cerebro, Pallas doctior renata,
à Tua facundia Tullius diſertus.
Gaudebat Te ſtante Inſula, STATIO MINOR, ſed brevi,
HONORES enim indies Novi, ultrò de Te pugnabant,
ac invicem Te ſibi eripiebant.
Tylicianũ Orator aſcendiſti ſuggeſtum,
Non ſterilis Princeps ſvadâ, ſed Clariſſimus:
Illuſtriſſimæ Polonæ Indoli fundens ab ore Roſas.
Roſtra Oratoria reſolvendo, viciſti Ora & vota Patrum,
Qui attentè de Te audiendo Oratore, benevolentiâ freti,
mox COLLEGIVM MAIVS obtulêre.
Stetiſti jam in Gradu Majori,
Novi Honoris Compos,
Quem jure elaborâſti indefeſſus Atlas;
Verior

Verior Apollo, Majorem Parnassum conscendisti,
comitati Te maximi labores.
Obryzum Alcides loquatur, fulmina Pericles,
Purpuram Arpinas, Attica Toga evolvat gemmas:
Tu Solem, Tu sydera loquebaris.
Quòd Te Vnum omnes mirati; TRYPOS eras,
Oraculis non indigebas, NVMEN MAGNVM,
nec Parnassô altiori, SEDES MVSARVM.
Nova Magnifici Honoris EMINENTIA
Laurea Theologica
ut eò pulchriùs in Te emineret;
Decanalem induisti Purpuram.
Pulcher Honos, sed Te ipso æstimatior.
Diligentes Theopompos quæsivit, Te invenit.
Pateretur hic Honos Panegyres & Coronas!
Non ut eas ambiat, sed ut Orbi commonstret
summæ claritudinis esse,
quâ non indigeas dare ingenijs lucem.
Tu quidem
Magnifice D. Rector:
Necdū Magnificus, Senaculū iam incipiebas ab hac TrabeaDecanali,
cujus in Magnificentissimo Apparatu,
Princeps Artistarum fulgebas.
Cathedras nunquam vacare permisisti, ORATOR, DECANVS,
occupabas enim eas, & situ, & animo indefesso.
Ad Exedras Primus Encomiastes; THEMA LAVDVM,
Ad publicas Disputationes; ARTICVLVS PRIMVS,
Domi & foris ex utroq; Cæsar.
Magnus quidem, sed necdum Novus propter Te HONOS:
Vt AVGVSTALE quoq; Scientiæ THEOLOGICÆ impleret,
Sacræ Theologiæ Professor, creatus es.
Pulchrum quippe est, ad hujusmodi HONORES, eniti;
Sed quæsitum à Te STANISLAO Augustius omninò
 eme-

emeriti laboris Decus.
Ita contra Ioves etiam marte Giganteo ſurget,
Cui in ſpe & promiſſis Cælum.

Huc Calami! Huc Panegyres!

Liceat Te nobis contemplari Vnum, ſed gemmam Profeſſorum totũ
In Academico; Vniverſitatem: & Solem in Aquilæ pupilla.
Vnus animus THEOLOGICVS Tuus, ſed in eò mille ſpecies,
& ſpeculum Scientiæ.
Qvid ergo de Te THEOLOGO dixerimus, tantilli de Tanto?

Si Stanislaum nonniſi? totum diximus:
Si Theologum? omnia:
Si S. Theologiæ Doctorem?

Novam Magnifici Honoris Eminentiam
mox adorabimus.
Viciſti titulos omnes emerite HONOS!
Qui animos, aures, SENATVS COMITIALIS POLONI
Legatus Academicus viciſti.
Ibant res ſine cura Univerſitati, Te Procuratore.
MARCHIONALIS Ales, Te Proviſore, vocaliùs præcinuit
deductis non aliunde modîs niſi ex Te Ipſo.
Sed fruſtra his mercibus, de Claſſibus Noſtris allaboramus?
Vera virtus, nec faſtis, nec ſæculis indiget,
niſi pretiô:
Quam ad æſtimationem deducere non noſtrum eſt;
Cùm Noſtri pretij Proviſio, à Te PROVISORE dependet.

Quid ultra?
Iam Te

MAGNIFICVM D. RECTOREM
cum rubore veneramur:
Iam Te Purpuratum Caput inſpicimus;
cùmq; videri intra Majeſtatem Nominis, & HONORIS Tui
Totus nequeas:

Per-

Permitte saltìm, sub hac imagine conspici Te,
in cujus lineamentis, ex amussi refulges

Vigilantissimus RECTOR.

Apex hic Academicus sapientiæ Thronus est,
Ingeniorum exasciatio, & suprema censura.
In hoc labor exquisitus, sudores gemmei,
In hoc sapientiâ triumphasse, pluris æstimas:
non ut ambias, sed ut ostendas Honorem hunc, ambire hæc.
In hac Theologica Eminentia
Novum Honorem jam depingis,
qui regio ubiq; & excelso animô
etiam inter aculeos difficultatum metis ex spinis rosas
abituras in coronam.
Quanquam jam eæ Tibi imponuntur
S. Th: Licentiato:
Cujus frons non insolens, nec oculi ad curiosa duces,
sed mens & animus ad Divina erectus:
QUI A UNUS cum DEO SPIRITUS SUNT.

Et cùm ita:

Hìc Nos M. D. RECTOR,
S. Th: Neo Doctor,

infra exiguitatem operis nostri sine pretio,
cum Classibus jam sine mercibus sistimus.
Reliqua opera, imò omnia, Atlanticos labores,
quos vix tetigimus, ni permisisses;
alijs deprædicanda relinqvimus.
Quis enim Té ex mensura illa virtutis Tuæ, loquetur?
quâ ipsas cogitationes excedis;
Tullijs stupor, & terror;
Reliqvis admiratio, & silentium pro eloquentia.
Novus Sceptriferi Honoris Honos,

Laurea Theologica
non ambit currus triumphales, cùm Tuâ fronte pulchriùs eat.
Non magnitudinem ostentat, quam quisq; prospicit,
in Te Magnifico.

Ergo

Accurre STANS LAVS
Ad tantum Cæleste Donum,
rarum alijs gestandum, quia tremendum.
Serò quidem Tibi contigit, sed seriò.
Magnifica enim sunt quæ serò contingunt.
Præit Tibi AGNUS PVRPVRATVS
CELSISSIMI PRINCIPIS
Illustrissimi & Reverendissimi
D. CONSTANTINI
FELICIANI
IN SZANIAWY
SZANIAWSKI,
DEI & Apostolicæ Sedis Gratiâ
EPISCOPI CRACOVIENSIS,
DUCIS SEVERIÆ,
CANCELLARII Nostri Faventissimi,
cum aureo vellere, & cornucopijs Benedictionis.
Inclina Frontem emeritam
Ad exporrectã liberalẽ MARTINI dexterã
Perillu-

PERILLUSTRIS & REVERENDISSIMI D.

M. MARTINI WALESZYNSKI,

S. Th: DOCTORIS & PROFESSORIS,
ejusdemq; Facultatis DECANI,
Ecclesiarum, Cathedralis Cracoviensis CANONICI &c.
Novi Vavelli Coronarum Unionis:
quâ Tibi MAGNIFICO Novum HONOREM confert:
Non aliter enim hic HONOS appretiari debuerat, nisi VNIONE,
CAPUT ornari, nisi CORONA.
Quâ dum virtutes, merita, labores,
Rectoralem muricem adornâsti;
Ascende Doctoralē Cathedrā, Theologus,
ascendunt Tecum vota innumera.
Vavellus pretium addit, Coronæ Tuæ,
Ordines Academici Ordine plaudunt,
Cracij Cives aperiunt affectuum Portas,
Classes Nostræ Honore Tuo onerariæ
ad felices adnavigant Insulas,
dum Tu in portu sistis Honorifico.
JUVENTUS Tibi sternit flores HONORIS,
& tripudiat praeuntibus ANAGRAMMATÎS.
Cuncti deniq; unà Nobiscum plaudunt,
gratulantur & vovent:
NOVAM MAGNIFICI HONORIS
EMINENTIAM
in Te
MAGNIFICO DOMINO RECTORE
Virtutibûs, Meritîs, Laboribûs
EMINENTEM
ADORANDO.

PROGRAMMA,
M. STANISLAUS
S. Theologiæ DOCTOR
VNIVERSITATIS CRACOVIENSIS
R E C T O R.

ANAGRAMMA I.

MUsæ RECTORI occinite coronato luſus hilares, ſat diu gratìs ſonetis.

E P I G R A M M A I,

MOs antiqvus erat Romanis, tempora quando
Cincta forent lauru, metra dabantur eis.
Muſæ! RECTOR adeſt, *Rectori* Carmine læto
Occinite, ac plauſus ferte ſonante chely.
Nempe *Coronato*, plaudatis voce ſonorâ,
Et *luſus hilares,* ingeminate precor.
Sat benè ſatq; *diu gratìs* de laude merebat
Veſtrûm; quapropter ſponte *Sonetis* ei.

FRANCISCUS de Zmigrod STADNICKI,
Caſtellanides Lubaczovienſis, Auditor Dialecticæ.

II.

SOl es Tu oriaris: virtutem noſcit Schola Regni, & doctrinas Tuas, eas cieo.

SOl quondam ſteterat Ioſue expugnante Gabaon,
Donec ovans palmas ferret ab hoſte ſuo.
Sol Nobis *es tu*: Noſtros *oriaris* ad uſus;
A Te dum cunctis influit omne bonum.
Virtutem noſcit Schola Regni, noſcit *&* amplas
Doctrinas, fecit quas labor eſſe *Tuas,*
Hoc *cieo* verſu, Muſæ majora precantur;
Ad qvævis fauſtus maxima RECTOR *eas.*

JOANNES de Zmigrod STADNICKI,
Caſtellanides Lubaczovienſis, Dialectices Auditor.

III.

III.

HOllis ſacras hodie Coronas, ornatus virtute, nimis ſat ſcio; certè vige.

HOllis dum *Sacras hodie* de more *Coronas*,
Plaudit votivo Carmine Muſa Tibi.
Ornatus virtute nimis procedis in altum,
Sed ſuprema paras dotibûs ipſe Tibi.
Sat ſcio quòd maneas Academi gloria magna,
Certè majorem, Laurea ſacra dabit.
Ergo *vige* felix centenos ſoſpes in annos,
Conſtanter faveat, ſors & amica Tibi.

JOSEPHUS de Dobna DOBINSKI,
Burgrabides Cracovienſis, Dialectices Auditor

IV.

ADſunt Cæli, Viri Theologi ut octo, coronant Te arris miſſis; Graeſus es.

ANnales ſacri teſtantur, Paulus ab imis,
Quòd fuerat raptus, redditus atq; Polis.
Adſunt & Doctor Tibi *Cæli*, quando favorem
Illorum ſemper noſcis adeſſe Tibi.
Suntq; *Viri*, ſunt *Theologi*, qui maxima *ut octo*
Callent: applaudit quilibet ore ſuo,
Flore *coronant Te*, dant *arris* præmia *miſſis*;
Dotibûs eximijs *Craſus es*, inde patet.

STANISLAUS KOSTKA Dux in Korzec, & Olexieniec
CZARTORYSKI M.D.L. Vexilliferides, Auditor Rhetorices.

V.

ZOvodvorſcii Claſſes ritus hilarè geſtos, victoriam & ore canant: ſit.

ZVnc o lecta Cohors Muſarum ſiſtite greſſum,
Ora, lyras, Cytharas, attenuate precor.
Exultant *Novodvorſcij Claſſes* æquore in alto,
Quarum Nauclero portus Honoris adeſt,
Vt ritus hilarè geſtos, victoriam & omnem
Ore *canant*, quadro juſtiùs Orbe nihil.
Ergo ſint plauſus, ingens *ſit* pompa triumphi
Doctori Noſtro gloria ſitq; ſuo.

ÆGIDIUS de Dembiany DEMBINSKI Dapiferides
Cracovienſis Rhetorices Auditor.

VI.

Serto, Decor Scholæ CANTIj, làuros vince nitoris, greſſus, vota ſtatim.

Vſtus Honos magnis fuerat Victoribus olim,
Dum laurô quivis condecoratus erat.
Sunt nobis flores, qui nunc Tua tempora poſcunt:
I cinctus *ſerto* Cûi *Decor* inde venit.
Ecce *Scholæ Cantiì lauros* dant, *vince* ſed illas:
Nam nôſti ſolers eſſe *nitoris* eas.
Penna ſtitit *greſſus* remanes jam Victor ovando;
Vota ſtatim referas, quæ Tibi corde damus.

JOANNES de Szczegłow FREZER Burgrabides Cracovienſis, Auditor Rhetorices.

VII.

Tes ſtoa: non nega ei Doctoris laurus, hìc eſt virtus majoris loci certa.

Tes Stoa: quidve facis? jam porrige ſerta decoris,
RECTORI Noſtro porrige: Muſa canit.
Non nega ei digno: *Doctoris laurus* in ipſum
Sola cadit, credas; tempora ſola petit.
Hìc pietas renitet, *virtus eſt* juncta decori,
Majoriſq; loci cernitur eſſe capax.
Ergo cùm video laurus, binaſq; Coronas;
Hinc ſciò, quòd Cælis tertia *certa* manet.

JOSEPHUS STRZAŁKA Burgrabides Cracovien: Auditor Rhetorices.

VIII.

Vcs rurſus orta hodie in Lycæo Magno ſcientia, tuta res; cor ſiſto.

Itera Sacra docet, tranſibunt tempora docta
In lumen clarum, quæ documenta parant.
Factum: tranſivit *Lucs* Doctor *rurſus* amæna:
Hæc animos veſtros irradiare ſciet.
Orta Lyceo hodie ſplendens *eſt* hæc Academo
Magno: quam cuncti cernite, Phæbus adeſt.
Hunc ornant radij, virtuſq; *ſcientia* pulchra;
Res, cor, tuta ferens, Carmine *ſiſto* ſimul.

LUDOVICUS de Iuſzyn IUSZYNSKI, Pocillatorides Podolienſis, Auditor Rhetorices.

10

IX.

ALlato Honore gaude, ſucceſſus numeres, citioris ſortis; ratio incitat.

ACronem Regem Ceninensûm vicerat ille
Romulus, & Victor, ſtabat in ore Virûm.
Allato ſummè gaudebat Rex in *Honore*,
Tempore ſed modico: fata ſubivit iners.
Gaude Tu longè, tum vivas hâcce Corona:
Succeſſus numeres, Te comitentur opes.
Nec qvædam *ſortis citioris* noxia fata
Te vincant. *Ratio* me *incitat* ut voveam.

STANISLAUS de Ielitow SKRZETUSKI,
Venatorides Chełmenſis, Audit: Rhetor:

X.

VIrtutis illuſtris es imago, è choris cætus io canant, ſera corde ſono.

VIrtutis verax *Illuſtris* nunc *es imago*.
Ergo *chorîs cætus* clariùs *io canant*.
Nam virtus nunquam, vult digna laude carere;
Quâ ſi caret protunc, laus manet ipſa ſibi.
Sed Tua Doctor amans ſacris decorata Coronîs,
Summâ laude nitet, laus qvoq; ſola ſibi.
Poſteritas illam referat per ſæcula *ſera*
Hoc de *corde* tulit penna, miniſtra *ſono*.

JOSEPHUS de ſtruſy STRUS, Subdapiferides
Laticzovienſis, Auditor Rhetoricæ.

XI.

SAncte CANTI gloria lucis, hujus Doctor Artis verè ſtas; jo meritò ſones.

SAncte Pater *CANTI* Supremæ *gloria Lucis*:
Fac ut Doctori, Carmine Muſa canat.
Hujus Doctor ades præcelſæ novimus *artis*
Illi continuò, qvæſo Pöëta fave,
Ejus pro votis *verè ſtas* Hectoris inſtar,
Te RECTOR noſtrûm cernet adeſſe ſibi.
Dum CANTIq; faves, Rectori Muſa novenna
Io canas *meritò*, Io triumphe *ſones*.

VLADISLAUS de Zakrzow ZAKRZOWSKI,
Dapiferides Livenſis, Auditor Rhetoricæ.

D 2 XII.

XII.

SErto novo indutus, Coron is lætior ſucceſſiſti, metra legas Cytharâ.

SÆpè ſuis gaudet Caput Orbis Roma Quirinis
Sertô quando *novo* tempora Cincta ferunt.
Sic *indutus* ades Doctor Trabeate *Coronis*
Noſter Parnaſſus, *lætior* inde manet.
Succeſſiſti alijs Magnis Doctoribus unus,
Expectabant quem ſæcula longa nimis.
Ergo *metra legas Cytharâ* modulante parata,
Quæ cor dictavit, ſcribere juſſit amor:

JOSEPHUS de Piegłow PIEGLOWSKI,
Auditor Rhetoricæ.

XIII.

THemis ſacra, gaudet lance vir tus ecſcelſa; orto roſis iſti Viro intono.

TU mihi *Sacra Themis* lancem non ſola remonſtres,
Hanc etiam probitas, qvæq; refe rre ſolet.
Gaudet lancè novâ, *virtus excelſa* Vir orum
Præmia quâ librant, parta lab ore gravi:
Doctor adeſt, noſtros qui librat ſæpè labores,
Orto ut flore *roſis* cingere poſſ it eos.
Iſti nempe *Viro* votivos intono verſi is,
Nobis ut vivat ſæcla per ampl a precor.

LUDOVICUS de Szczepan ow SZCZEPANOWSKI,
Dapiferides Zytomiriei nſis, Auditor Rhetoricæ.

XIV.

HYems glacialis concors, coronas dat virentes æſtivo ritu, ſto ut res.

HOrtos Heſperidum jam non a ntiquior Orbis,
Nec ſua Parnaſſus jactet am œna loca.
Pulchriùs hîs ſemper floreſcit Dux Academus
Noſter: *hyems* illi nil *glacial is* obeſt.
Concors flore *coronas* hæc *dat* n oxq; *virentes*,
Æſtivo ritu; quis daret iſta modò?
Prodigium miror tantum, *ſto re s* magè cernens
Non mirum: Tanto tanta tenetur hyems.

JOSEPHUS de Legartowice KUCHARSKI,
Pocillatorides Dobrzanenſis, Rhetoricæ Auditor.

XV.

EST novus sed micans Rectoris, Honos-
Cui vota grata lætîs recito lyris.

EXultans Doctor, vix scandit culmen Honoris;
Plaudit Apollo Deus, turba novenna canit.
Est novus atq; *micans Rectoris* splendidus ostrô
Magnus *Honos:* cûi nos pectore, voce, stylô,
Vota lyris lætis canimus per *grata* decoris;
Suscipit hæc Doctor, Mons Heliconis ovat.
Ergo cum tantos plausus dat doctus Apollo:
Et mea quæ *recito* suscipe vota precor.

IOANNES CANTIUS de Szczesno BOREK,
Auditor Rhetoricæ.

XVI.

OMnis Honos onus est, sed gloria varia
crescat olea; ritu victrici steti.

OMnis Honos onus est, ac ingens sarcina rerum
Dicite: Doctori mobile pondus adest.
Hunc labor & *varia* alleviant, ut gloria crescat
Dulci *olea* semper: fronte paratur opus.
Difficilis non lædit eum, salsusq; per artus
Sudor transcurrens, omnia vincit Honos.
Ad qvem *victrici ritu*, dum curris amande
Doctor: pro voto sit stupor, ecce *steti.*

CASIMIRUS de Pyszki PYSZKOWSKI,
Rhetorices Auditor.

XVII.

TAudis origo coronatæ sis, notus curis
hisce tutè colens artis merita.

T*Audis origo coronata* mihi Doctor onuste
Lauro, *sis*; quam tot jam cecinêre Viri.
Pallas docta Tuos novit cum laude labores:
Et *notus curis*, omnibus hisce Tuîs
Te Professorem vidit prius Alba Ducalis,
MYSZKOVIÆ doctæ post coluêre Scholæ.
Tutè recta colens qvod sis studiosus & *artis*
Demonstrant nobis hoc, merita atq; labor.

DOMINICUS de Łazy MIŁOSZEWSKI,
Auditor Rhetoricæ.

XVIII.

OVat (erro) Tutelaris Magni Tui Ales hoc die, nixus ſcit; ſonos ciet raros.

ORbis *ovat* Lechicus tum gaudet candidus Ales;
Erro ſed errorem corrigo ſponte meum.
En *Tutelaris Magni* Tûi ſubvolat *Ales*;
Ac pennîs laudes fert ſuper aſtra Tuas.
Hocq; die ſpectans Te qvòd ſis culmine *nixus*
Tanto: *ſcit*, qvòd mox celſior alta petes.
Atq; *ſonos* pennîs fauſto *ciet* omine *raros*,
Orbe qvòd in Docto Vir citò ſummus eris.

ANTONIUS de Czekarzowice TARŁO, Comes in Melſthyn, Archimagirides Regni, Poeſeos Studioſus

XIX.

GRatiæ omnes tres, ſi collætantur Doctoris Honore; citiùs vivax ſis.

GRatiæ eæ qvas poſteritas memorando revolvit,
Omnes tres verè gaudia magna cient.
Si collætantur Magni *Doctoris Honore*,
Illi qvem meritò ſacra corona dedit.
Cur non lætentur? ſub cujus fronte benigna,
Omnes tres ſedem, compoſuêre ſibi.
Hâc nunc ſplendidiùs fulgent, *citiuſq;* precantur
Sis vivax fauſtus, ſæcula longa tene.

ADAMUS de Czekarzowice TARŁO, Comes in Melſthyn, Archimagirides Regni, Poeſeos Studioſus.

XX.

INgentis valoris theſaurus artis, tot doceas ecſcelſior omnia, Victor.

INgenij magni quô nil pretioſiùs extat
Pondere, decreſcit, maxima gaza Midæ,
Tu nunc *ingentis* ſis per ſacra ſerta *valoris*,
Verus *Theſaurus* qui tenet artis opes.
Tot doceas cunctos *excelſior omnia Victor*
Sæcula, per ſenſus erudiendo Tuos.
Sic Te pro ſemper memorabunt tempora ſera;
Qvod felix ex Te Cracia Pallas erat.

STEPHANUS de Ozarow OZAROWSKI, Subdapiferides Regni, Poeſeos Studioſus.

XXI.

XXI.

Æ Des ut Sacri intres Honoris, tum ſtas ſocia gloria; cor clientis vovet.

Æ Qvalis Summis Honor hic eſt ſedibus: ergo
Hunc ſcandens Summis par Pater alme manes.
Ædes ut ſacri nunc intres Doctus *Honoris*,
Fas eſt; hoc actus promeruere Tui,
Tum ſtas in decorîs præcelſi culmine Sacri,
Aſſiſtenſq; Tibi *gloria* ſit *ſocia*.
Celſior exiſtas hæc *cor* fert vota *clientis*:
Et *vovet* ut meritis plena ſit aura Tuîs.

MICHAEL in Słupow SZEMBEK,
Succameratides Cracov: Poeſeos Studioſus.

XXII.

D Irigit Helicon ſacer roſtra, Muſæ unitos cantus vocales ſiſtite; oro.

D Octor ut emineat præclarus, *dirigit* ipſe
Applaudens *Helicon* cum reſonante choro.
Si *ſacer* emeritò confertur ritus Honoris;
Inclyta ſic illum, *roſtra* tenere decet.
Aſt ut majorem *Muſæ* referatis Honorem;
Unitos cantus, pandite voce precor:
Iam modò *vocales* applauſus *ſiſtite* Vatum,
Oro: Pierijs ora rigentur aquîs.

JOSEPHUS de Olchowice SMIETANKA,
Tribunides Cracov. Poeſeos Studioſus.

XXIII.

O Mine & augurijs dextrîs lauros, coronas, ſcholas tenet, victoria ſit.

O Mne decus ſubeat: probitates *omine* fauſto,
Et qvivis ſit Honos, officioſus ei.
Qvi capit *augurijs dextrîs lauros* venerandus,
Et cûi ſudanti, gloria parta venit.
In propria geſtet pretioſas fronte *Coronas*,
Qvi ſemper madidis, tempora ſparſit aqvîs.
En *tenet*, iſte *Scholas* quæ plaudunt vota ferentes:
Vt *victoria ſit*, tum decor omnis ei.

ADAMUS de Romiſzowice ROMISZOWSKI,
Burgrabides Cracov: Poeſeos Studioſus.

XXIV.

GRacia Turris claras ſolas voces ede Honori novo, genius mittit teſtis.

CОmmemorant Nobis ſat claram ſæcula turrim,
Qvæ ſeptem vicibus, reddidit arte ſonos.
Cracia nunc *Turris* triplex trans æthera claras
Has *ſolas voces ede*, colendo Virûm.
Qvi RECTOR Sapiens, Lechicam moderando Palæſtram,
Iungit *Honori* nunc propria ſceptra *Novo*.
Rumores iſtos *Genius* Tibi Palladis Almæ
Mittit; tum *teſtis* publica fama manet.

JOANNES de Ianowice CHWALIBOG,
Burgrabides Cracov: Poeſeos Studioſus

XXV.

TVllius de Te Magnas ſtruit Thaſes, ac Cicero notior, res novas ocior ijs.

T*Vllius* à ſæclis laudetur, ſed modò *de Te*,
Magnas ſubmiſſus *conſtruit* ipſe *Thaſes*,
Ac *Cicero* cunctis facundo *notior* Ore;
Doctori Tibi *res*, efficiendo *novas*
Mercurij pennîs feſtinans *ocior* ipsîs,
Adſtat *ijs* plaudens corde manuq; ſuâ.
Perpendas ſolers, qvanto potiaris honore
Laudem poſteritas, excitat ipſa Tibi.

LAURENTIUS de Szczygłow FREZER,
Burgrabides Cracov: Poeſeos Studioſus.

XXVI.

ORnatas merces vehunt Claſſes, ſortior gaudia, ijs lucro ſint toto, jeci io.

O*Rnatas merces* qvibus addunt facta valorem,
Laudibus à nullis appretianda Tua.
Ecce *vehunt Claſſes* noſtræ, qvas tu moderaris,
Sortior iſta modô gaudia, corde meo.
Spargis *ijs* largus proprij tot dona favoris,
Qvæ præcellenti, qvis neget eſſe *lucro*.
Hæc *ſint* clara precor *toto* memorentur in Orbe
Hoc vilis *jeci* carminis *io* mei.

IGNATIUS de Romiſzowice ROMISZOWSKI,
Burgrab: Crac: Poſeos Studioſus.

XXVII.

XXVII.

RE vera cingis coronis melos, doctæ virtuti Honor ut assecla assistit.

Ritu solenni dat multis plausus Honores,
Plus tribuens illis, qvàm meruêre sibi.
Re vera cingis nitidis Tu fronte *coronis*
Totum; qvod pandit, docta Camæna *melos*.
Ecce Tuæ *doctæ virtuti* celsa tenenti,
Cum *fama* celeri, servit amicus *Honor*.
Semper *ut* observans, & nunc *assecla* ministrans
Assistit, qvando tendis ad alta loca.

MICHAEL FIRLEY de Konary KONARSKI, Tribunides Oświęcimensis, Poeseos Studiosus.

XXVIII.

ANio artis Solon, cor Lechicæ Gentis, decus, vitat amore satis; sors urit.

A*Nio* splendescit gemmis pretiosior *artis*
Æqvoreis, nostræ Palladis Iste *Solon*.
Sortes vix illi cessit, Pandora trecentas,
Cor Lechicæ Gentis svave *Decusq;* manet.
Pridem docta petit frontem ejus cingere laurus,
Attamen hanc humili *vitat amore satis*.
Verùm dat virtus stimulum, *sors* Cælitus ipsa
Urit, ut eximiô possit Honore frui.

STANISLAUS de Olchowice SMIETANKA, Tribunides Cracov: Poeseos Studiosus.

XXIX.

Nilus es scientiæ, à tot claris haustus: ergo coronaris meritò doctiùs.

N*ilus* Pierijs *es* credo *scientiæ* in hortis,
Qvem Craciæ Musæ Phœbus & ipse bibit.
A tot Numinibus *claris* feliciter *haustus*;
O Sors qvanta! Deos, atq; fovere Deas,
Ergo coronaris meritò, nàm doctiùs Hæres
Divinæ sortis verus in Orbe nites.
Fontes qvos hausit si Gens Romana Coronis
Ornat, Te Pallas corde coronat ovans.

STANISLAUS Scibor de Rudołtowice KOTKOWSKI, Pocillatorides Novogroden: Poeseos Studiosus.

XXX.

XXX.

IS Regno vincit Hector, is Victor terræ donat, ac is Musis, laus sola esto.

IS *Regno vincit*, qvot nodos computat *Hector*,
Pro gladio doctæ mentis acumen habet.
Is Victor terræ, qvot palmas arte reportat,
Donat, nonqve sibi vivere corde, cupit.
Hic basis, hic cardo rerum virtute stupenda,
*Ac is laus Musis esto*qve sola diu.
Ex ejus sudore paratur splendor Honoris,
Atq; salus multis, gloria summa fluit.

ALEXANDER de Gledzianow BEŁCHACKI,
Poeseos Studiosus.

XXXI.

Vir minor hic solo Jove, edoctus Cælestia norat, sanctis sertis gratus.

VIr *minor hic solô Iove* surgens esse videtur,
Quem virtus semper, tollit ad astra Dijs.
Sic est *edoctus*, qvô nasci denuo Pallas
Si posset, vellet, testis Apollo canit.
Hic Arcana Dei summi *Cælestia nôrat*;
Mentibus Angelicis par Caput ipse tenet.
Vnde Viri frontem *Sanctis* præcingit Olympus
Sertis; qvæ *gratus* pectore specto refert,

JOSEPHUS de Ozarow OZAROWSKI, Tribunides Sandomiriensis, Poeseos Studiosus.

XXXII.

EN Cohors Minervæ, gestis orta coronatis Tuis, radiat sicut solis luce.

EN stupefacta *cohors* currit sistitqve *Minervæ*,
Respicit an Titan splendet in orbe novus.
Vndiq; dum lumen cernit sub tegmine lauri,
Advertit, qvòd Tu Phæbus & alter ades.
Felix, ornatam dum Pindi vertice *gestis*,
Orta coronatis se videt esse *Tuis*
Et *radiat sicut* jam *Solis luce* serenâ,
Nunc sibi præclaros apta probare dies.

IOANNES de Slasy SLASKI,
Poeseos Studiosus.

XXXIII.

XXXIII.

REecurrit amænus voto noſtro dies; hic eas Coronas, geſtis allicit Tuis.

RAro ſi qvondam, ſed ſorte *recurrit amænus,*
Iàm *voto noſtro* ac abſq; labore *dies.*
En *hic eas* aurâ Cæli veniente *coronas,*
Tam pulchras *geſtis allicit* atq; *Tuis.*
Qvæ mentes Regum recreant, qvæ climata Mundi,
Et Superis qvarum gloria ſumma placet.
Tempus ſerta parit, poſthac ſi ſæcla redirent,
Talia, qveis meliùs jam foret Orbe nihil.

IGNATIUS de Łukowice: SENDZIMIR, Vicepalatinides Becenſis, Poeſeos Studioſus.

XXXIV.

SOl oriens Academicus coronatus ſiſtit; cultos gratiæ rores invehit.

SOl *oriens Academicus* eſt jam, ſurgite Muſæ,
Plaudite pulſando dulcia fila chelys.
Fronte *coronatus* dum noſtro *ſiſtit* in Orbe
Svave melos cytharæ, jungite qvæſo Deæ.
Pandite nunc fontem, *cultos* ac *gratiæ* amænos
Rores aſcendens *invehit* Ille gravis.
Ambroſius torrens veſtris regnabit in undis,
Dat qvibus influxus Phæbus uterq; ſuos.

JOANNES ZAWADZKI, Vice Palatinid: Proſſovicen: Poeſeos Studioſus.

XXXV.

HO nitens Crucis Academi Geſtator, altos juſſu Cæli ſortitur Honores.

HO *nitens Crucis* eſt *Academi* dignus ovando,
Geſtator, ſub qva paſſio nulla datur.
Qvò fortuna vocat, felices tendimus omnes;
Cùm RECTOR nobis hâc Cruce ſignat iter.
Signat iter nobis, aſt Ipſum ſidera Cæli,
Altiùs ut ſcandat culmen Honoris, trahunt.
Ergo *altos juſſu Cæli ſortitur Honores:*
Sic meruit Virtus, ſic pia facta Viri.

MICHAEL de Szczepanow SZCZEPANOWSKI, Dapiferid: Zytomirienſis, Poeſeos Studioſus,

XXXVI.

TU illuces terris genio Titane, oris roſis, Thomas Stoæ vocandus Craci.

TU Phæbum noſtrum factîs illuſtribûs ornas,
Lumine ſat rutilat Turba novenna Tuo.
Illuces terris genio Titane ſagaci,
Lux Tua jam cunctis partibus Orbis adeſt.
Qvò Caput, & paſſus effers Hortenſius alter,
Oris, crede, Tui terra referta *roſis.*
Sed potius *Tomas Stoæ* nunc jure *vocandus*,
Ante *Craci* Thomam qvi colis arte Tua.

MICHAEL de Zakrzow ZAKRZEWSKI, Enſiferides Novogrod: Poeſeos Studioſus.

XXXVII.

ATlas Honoris, o candor mentis! Augur ſortis, cur ſiſtit Leo ſectæ? evici.

A*Tlas* purpurei ſucceſſit dignus Honoris,
Qvem ne labatur, deſuper aſtra juvant.
O candor mentis qvalis ſit! dicite Muſæ;
Sponte Viri cujus cor ſine felle patet.
Sortis adeſt *augur*, qvem verus Zelus, & ingens
Orbi commendat Relligionis amor.
Adverſæ *ſiſtit ſectæ* ſe *cur Leo* dicit:
Evici ne pòſt creſcere ſecta qveat.

JOSEPHUS de Koziełki WOLSKI, Camerarides Łecicen: Poeſeos Studioſus.

XXXVIII.

TAntis ſui curis ac actis, meritò Viro culto, aſſere: dignè latos Honores.

T*Antis* dumq; *ſui curis ac* ſplendidus *actis*,
Doctor, huic *meritò* militat omnis Honor,
Frons Charites præfert, pectus Cæleſtia ſpirat,
Vis animi cunctos, exſuperare poteſt.
Majeſtatê micat, candorem purpura ſervat,
Sicq; *Viro* cultô, cultior hîc qvis erit?
Aſſere: qvòd *dignè latos* acqvirit *Honores*,
Hoc virtus præſtans, hoc ſtudiumq; probat.

ANDREAS ZAWADZKI, Vice Palatinid: Proſſovicenſis, Poeſeos Studioſus.

XXXIX.

IN terris digeſſiſti Coronas o! Heros cunctas, reſtat ultima Cælo, vovi.

IN *terris digeſſiſti* Tu ſponte *Coronas*
O Heros cunctas! perge favente Deo.
Necdum fers omnes, *reſtat* Tibi nam *ultima Calô*,
Qvam *vovi* ſpera, nocte dieq; vigil.
Egregiæ dotes, celsis Tibi ſedibûs auctæ,
Dico: Te Cæli juſta corona manet.
Herculeos actus cinxerunt ſidera ſertis,
Te ſimili Cælum, tractet Honore precor.

CASIMIRUS à Łubna ŁUBIENSKI, Caſtellanides Sandomirienſis, Capitaneus Oycovien: Gramm: Studioſus.

XL.

SEd à Jovis ſolius loco, non hic à cunis, terræ it, ſtatim gratus; re cor eſt.

SEmper honorandi felices atq; vocandi,
Qvos finxit Titan de meliore luto.
Non hic à cunis terræ confidite RECTOR:
Sed Iovis à celſo *ſolius* Ipſe *loco.*
Itq; *ſtatim gratus*, qvem non Lucina recepit,
Aſt tenerum fovit, Pallas amica ſibi.
Phæbum Muſarum, non primò lumina ſolis
Vidit; *re cor eſt* Palladis Ipſe Deæ.

JOSEPHUS à Łubna ŁUBIENSKI, Caſtellanides Sandomirienſis Capitaneus Jadovnicenſis, Studioſus Gramm:

XLI.

CAndore illuſtris animi, Heroas cinctos, graves, virtus è toto aſſotiet.

CAndida dona Capis, *candore* notabilis ipsô,
Illuſtris Doctor, tum venerande Pater.
Dotibûs hîs *animi* ſuperas felicius Hector,
Heroas cinctos dexteritate *graves*.
Per Te fama, decus, laus eſt in Gente Togata
Dum lauru binâ frons Tua docta viget.
Ergo tibi *virtus* ſacrâ pompoſa Coronâ,
E toto cunctos, *aſſotiet* titulos.

SIGISMUNDUS à Łubna ŁUBIENSKI, Caſtellanides Sando: Capitaneus Wełecenſis, Studioſus Grammatices.

XLII.

RES non motas cardine reor, ars est hujus: lætitia glifcit, fuſcito, voco.

REddita metra ſtylô, Te non reverenter honorant,
Res nondum motas cardine fortè *reor*.
Lætitia applauſus *hujus* reverentia *gliſcit*,
Ars eſt; qvæ pennam neſcit habere parem.
Suſcito Mercurios, Cicerones, con-*voco* claros;
Hos tamen exſuperas ſerta ferendo ſacra.
Per qvæ ſis Superis propior, cognatus Olympo,
Hunc ſcandes, terras has recreando diu.

ANTONIUS de Ozarow OZAROWSKI, Subdapiferides Regni Gramm: Studioſus.

XLIII.

AVguſte Lycæo ſtas, horis emineat virtutis color, concordans ſertis.

APpares Lechico Princeps *Auguſte Lycæo*,
Nunc in Supremo *ſtas* Pater Alme loco.
Horis emineat per Te *virtutis* amatæ,
Raſuram fati non ſubeundo *color*.
Tempora multorum, tantis non apta Coronis,
Concordans ſertis Frons Tua docta ſacris.
His tamen haud capitur, meritorum ſumma Tuorum,
Ambiet hæc alius qui Tibi reſtat Honor.

FRANCISCUS de Michałow MICHAŁOWSKI, Subdapiferides Crac: Studioſus Gramm:

XLIV.

COr, os, Tyronis cernis; ſcio vota alto ducta, augentur hilari meſſe; ſtes.

CVltus tot lingvis Doctor Venerandus abundas,
Cor, os, Tyronis; *cernis* ovando *ſcio*.
Vota Tui RECTOR ſatis *altô ducta* triumphô.
Augentur votis, qvæ Tibi corda ferunt.
Hinc Iagelonis adeſt *hilari* ſtans *meſſe* maniplus
Pronus; Tutorem Te venerando ſuum.
Ergo *ſtes* tantô per Sæcula celſus Honore
Vlterius tandem ſcandito ſumma, precor.

JOSEPHUS SOŁTYK, Venatorides Sandomirienſis, Studioſus Gram:

XLV.

OMnia Collegia assistunt Doctoris Honori: eccur ita? tuteris, asserves.

OMnia qvæ docto remanent *Collegia* Luco,
Et qvæ sub Sceptris, docta Minerva tenet,
Assistunt promptè Magni *Doctoris Honori*:
Atq; canit plausus qvodlibet arte novos.
Eccur jam Doctor cinctus sis tanta cohorte?
Hic *ita* responsum Turba dat ista suum:
Vt *tuteris* Eam sospes per Nestoris annos;
Asserves gremio, qvod favor ipse decet.

JOSEPHUS WILKONSKI, Vexilliferides Ducatûs Zatorien: Capitaneus Bodaczovien: Studiosus Gramm:

XLVI.

VEllus honoris auratum gestat noster Iason, scite: sic cor sciet io dari.

AT caperet Iason generosus nobile vellus,
Venerat ad Colchos, vellus ovando tulit.
Sed pretio majore locuples *vellus Honoris*
Auratum gestat; Palladis arte datum:
Noster, qvem decorat Rectoris Purpura *Iason*;
Hunc vos Iasonem *scite* colendo novum.
Sic ad vocales plausus quos fama parabit,
Doctori magno *cor sciet io dari*.

VALENTINUS SIEDLECKI, Capitaneus Iodłovien: Ssudiosus Gramm:

XLVII.

Illata cita mentis vi, hos controversos errores vincis, eductos agitas.

IMpugnas hostes fidei generosus Achilles
Telis; qvæ docto spargis ab ore Tuo.
Illata atq; *citâ mentis vi* tendis in illos;
Qvam semper sub Te penna notando stupet.
Hos controversos errores vincis & arces;
Eductos agitas, ut ruat omne scelus.
Qvid tunc dum Tua frons lauru decorata refulget,
Qvòd fers ex illis, sacra trophæa notat.

MATHIAS SOŁTYK, Venatorid: Sandomirien: Studiosus Gram:

XLVIII.

ERigit se tuto his annîs sacro merito vertici, alto concessa dos laurus.

ERigit excelsus *se tuto* Academus in altum
His annis; dum Te laurea sacra decet.
Et benè, namq; *Sacro meritò* nunc *vertici* in imum.
Reddens, inclinans, aurea Sceptra Tuo.
Alto de Cælo Superum concessa favore
Dos Tibi, tam Magno *laurus* adaucta Viro.
Sub qva vive diu sæclis potiendo beatis;
Sceptra tenens meritis associata Tuis.

JOSEPHUS de Pokrzywnica POKRZYWNICKI.
Capitaneides Schadcovien: Studiosus Gramm:

XLIX.

ZVnc oriris, ast sic sudasti satis; gesta verò Honorem alto vertice loci.

ZVnc Pater in Sacro serto sublimis *oriris*,
Ast sic sudâsti facta per alma *satis*.
Iam summis par *gesta verò* doctus *Honorem*,
Qvi comes est *alto* cum probitate Viro.
Et laurum portes in docto *vertice* sacram;
Qvam retinent alti culmina summa *loci*.
Hâc exornatus fatorum fulmina pellas,
Hoc optant etenim postera sæcla sibi.

ANDREAS SKARBEK, Ensiferides
Bracłaviensis, Studiosus Gramm:

L.

SOli lucent: o! sidera vero ast non attica, hæc regit, i ostro; curis missus.

Sublimis semper comes extat splendor Honoris,
Nec lucem famæ, densior umbra tegit.
Soli Palladio *lucent o! sidera vero*
Ast non attica, qvæ sqvallida terra videt.
Lucet Ei prorsus renitens fax mentis honestæ,
Gloria nuntiat: *hæc*, aurea Sceptra *regit*.
Altiùs *i* decorus rutilô nunc lauriger *ostrô*
Et doctis *curis missus* ab arce Poli.

FRANCISCUS de Pokrzywnica POKRZYWNICKI,
Capitaneides Schadcovien: Studiosus Gramm:

LII.

LI.

INdulge o! Mista vittâ clarior;en recreas Te viso Stoas; scit sonus chori.

INdulge o! Mista en *vittâ* nunc *clarior* altâ,
Qvidqvid metra ferent hoc recreante die.
Feria Martis adest, lætîs præstantior horîs,
Qvæ recreant animos gaudia summa ciens.
O Pater! *en recreas Te viso* nunc redimitô,
Has nostras stantes per tria sæcla *Stoas*.
Scit sonus hoc famæ volitantis summa per æthra;
Musarumq; sonant (qvod Tibi narro) *chori*.

ALBERTUS TRZEBINSKI, Pocillatorides
Bracłavien: Studiosus Gramm:

LII.

SAcræ virtuti Angelicus Doctor THOMAS lucet: inest io! serò sis in rosa.

SAcræ virtuti qvam cingit Laurea sacra,
Et qvam fama, decus, celsa sub astra ferunt.
Angelicus Doctor THOMAS a*llucet* ovando,
Splendores proprios associando Tibi.
Pectori *inest* ejus multò vocalior *io!*
Sis serò in tacita Vir Venerande *rosa*.
Nimirum: nunqvam taceant Te postera sæcla;
Sed de Te semper fama perennis eat.

ANTONIUS OTWINOWSKI, Dapiferides
Wysogroden: Studiosus Gramm:

LIII.

REcreantur Craci Scholæ, altô geniô Tuô, assero: Tu dos in vittis missis.

*R*Ecreat Alma suis studijs Academia terras,
Ac Lechicam proprijs ornat amica Scholis.
Hanc reverenter habens; interrogo qvô *recreantur?*
Craci qvæ pandunt dogmata docta *Scholæ*.
Istud qvæsitum promptè Tua facta resolvunt;
Has *altô geniô* Te recreasse *Tuô*
Assero: non Tibi dos Honor est, sed maxima tu *Dos*,
In vittis missis qvas Tua facta merent.

SIGISMUNDUS ZBOROWSKI, Cameratides
Radomien: Studiosus Gramm:

LIV.

EMerito, curîs laſſato Vertici dignîs, ſat noto; laurus honore acceſſit.

EST lex Palladis hæc: laurô poſt fata perenni,
Sudores doctâ tergere fronte ſolet.
Emerito curîs laſſato Vertici & actîs
Dignîs, conferri præmia juſta decet.
En dantur, quando *ſat noto laurus Honore*,
Acceſſit Capiti tanta per acta Tuo,
Præclaro, docto; ſolôq; Tonante minori,
Quam capiens fati neſcius eſto precor.

LUCAS TRZEBINSKI, Pocillatorides
Braclavien: Studioſus Gramm:

LV.

CElſos aſſumis Honores à Tui corona, curre diu ijs; attingito celſa ritè.

CVm decoris tanti Sedem conſcendis in altam;
Non dic: qvòd gradus eſt, ultimus iſte Tibi.
Verùm; qvod Doctor *celſos aſſumis Honores:*
Qvos pridem foverat Pallas amica Tibi.
A decorante *Tui* frontem ſplendente *corona*;
Curre diu titulîs condecoratus *iis*,
Nec currens ſiſtas, magìs aſt *attingito celſa*,
Qvod ritè greſſus promeruêre Tui.

SIMON OTWINOWSKI, Dapiferides
Wyſogroden: Studioſus Gramm:

LVI.

HVlliô eſt dictus rarior, reſonans ſvaviſſima ore; geſtat: occinit Echo.

HVllius Auſonia qvondam florebat in Vrbe,
Qvi dictus Princeps eloqvijq; Parens.
Tulliô hic eſt dictus per ſvadam *rarior* illô.
Qvem nos Doctorem cernimus ecce Novum,
Hic *reſonans* roſeô, *ſvaviſſima*, doctus, ab *ore:*
Recreat eloqviô, tum recreando movet.
Hoc *geſtat* plaudens, hoc pectoris *occinit Echo*,
Hoc oris firmant, tot documenta Tui.

JOSEPHUS ZBOROWSKI, Cameratides
Radomien: Studioſus Gramm:

LVIII.

LVII.

O! unio clari Ostri sat micans, hinc tutè eo siste die gravis, Sacrô sertô.

ORnant permultos venerandâ Veste Lycæa,
Qvæ meritos actus, appretiare facit,
Tu Salus qvem metra stupent *O! unio clari*
Ostri purpurei! qvod modò RECTOR habes.
Sat virtute *micans* illi tribuendo valorem;
Hinc tutè sub *eo siste* colende *die*.
Esto *gravis* sertô *sacrô*, decoratus Honore,
Qvô manet ecce Tuum sacra Palæstra Caput.

MICHAEL ZAKRZOWSKI, Ensiferides
Novogroden: Studiosus Gramm:

LVIII.

REgito o! sanus has Craci innumeris Sæclis Stoas, ritè de voto cor tulit.

REx Academicus es, parvum Tibi Sceptra tenere;
Ast Tua frons etiam, nunc redimita nitet.
Hinc *regito* felix vivens *o! sanus* in Orbe,
Exæqvans factis omnia digna Tuîs:
Has Craci; qvas nunc retines moderamine RECTOR,
Innumeris Saclis apprecor arte *Stoas*.
Hæc autem qvæ sunt metrîs conscripta modernîs
Ritè de voto cor tulit ista meum.

MICHAEL de Szczepanow SZCZEPANOWSKI,
Dapiferides Zytomirien: Studio: Gramm:

T A V I V T V I V A T
A V I V T A T V I V A
V I V T A V A T V I V
I V T A V I V A T V I
V T A V I V I V A T V
I V T A V I V A T V I
V I V T A V A T V I V
A V I V T A T V I V A
T A V I V T V I V A T